



Universitätsbibliothek Paderborn

**M. Adami, Scriptoris Vetvsti, Historia Ecclesiastica,
Religionis Propagatae Gesta, Ex Hammabvrgensi
Potissimum Atque Bremensi Ecclesiis, Per Vicina
Septentrionis Regna**

Adamus <Bremensis>

Helmestadi[i], 1670

XXIII. Diploma Henrici Imp. De Comitatv Vdonis Marchionis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11096

XXIII.

DIPLOMA HENRICI IMP. DE COMITATV UDONIS
MARCHIONIS.

Henomine sanctæ & individuae Trinitatis, Heinri- Vide Adad
cus diuina favente clementia Rex. Cum regiae digni- mum lib.
tatis sit jus cuique servare suum, præcipue tamen Ec- 4 cap. V. pag. 113.

clesiastica jura nobis observanda videntur, quia si peccan-
dum, tolerabilius in hominem quam in Deum, si vero non pec-
candum, reverentius tamen Deo quam hominibus obsequen-
dum. Nos quidem patrum præcedentium vestigia imitari
optantes, augere bona ecclesiastica, aucta retinere, nostroq;
in quantum possumus patrocinio tueri debemus, quatenus no-
stra tenera ætas ad virile robur anhelans promoveri, si pro-
moverit sperans, & dandi in Deo gloriam consequatur, &
data inter homines confirmandi gratiam non amittat. Uni-
versis igitur sanctæ Dei Ecclesiæ nostrisque fidelibus, tam fu-
turi quam præsentibus notum esse volumus, qualiter domi-
nus Adalbertus, sanctæ Hammaburgensis Ecclesiæ Ar-
chiepiscopus patronus & fidelis noster, clementiæ nostræ sere-
nitatem adiut supplicando, quatenus eidem Ecclesiæ, quæ est
in honore Dei Salvatoris, ejusque intemeratae genitricis per-
petuæque virginis Mariæ, & beati Iacobi Apostoli conse-
crata, comitatum Udonis Marchionis, quem pater suus ha-
bebat antequam acciperet, daremus in proprium. Unde ad
promerenda cœlestis patriæ gaudia, & ad prolonganda sub di-
vina semper defensione nostræ temporalis vitæ curricula, &
explendam nostrorum petitionem fidelium, videlicet dilecti

Gg

magi-

magistri nostri Annonis Archiepiscopi Coloniensis, Sigefredi Archiepiscopi Moguntini, Burchardi Halberstadiensis, Guntharii Bavenburgens. Adalberonis Virziburgensis Episcorum, Ottonis Baivariorum Ducis, Bertoldi Ducis, Ottonis Marchionis, Fritherici Comitis Palatini, Ekiberti Comitis, decernentes consentire; remunerantes quoque prædicti Archiepiscopi juge servitium, quod patri nostro & nobis incessabili devotione exhibuit, eundem prænominati Vdonis Marchionis comitatum in Angeri situm, cum universis appendiciis ejusdem Marchionis beneficia respicientibus hoc est, utriusque sexus mancipiis, areis, ædificiis, agris, pratibus, pascuis, terris cultis, & incultis, aquis & aquarum cursibus, molis, & molendinis, punctionibus, exitibus & redditibus, viis & inviis, quæfitis & inquirendis, mercatis, monetis, theloniis, forestum etiam cum nostro banno regali per omnem comitatum, ijs tantum venationibus exceptis, quas nos aut prædecessores nostri Romanorum scilicet Imperatores vel Francorum Reges, Ecclesiis vel Principibus per regiæ autoritatem præcepti largiendo contulimus, sanctæ Hammaburgensi Ecclesiæ pro nostræ, ut diximus, nostriq. genitoris animæ remedio, perpetuo jure possidendum, omnium præsentium vel succendentium contradictione remota, in proprium tradidimus atque donavimus. Confirmamus autem eidem Ecclesiæ munificentia regia libertatem per omnia retinendam, & bona omnia quæ à Carolo Magno prædecessores nostri, Romanorum siquidem Imperatores vel Francorum Reges usque ad tempora nostra prænominatae Ecclesiæ concederunt, &

nos

nos habendum & omni tempore atque jure perpetuo possidendum per nostri praecepti paginam concedimus, omni nostra & nostrorum successorum, cunctoramque mortalium majorum vel minorum inquietatione remota. Parochias scilicet, decimas, terras cultas, & incultas, comitatus, mercatos, monetas, thelonea, foresta, cum omni utilitate, quae describi vel quoquomodo inde provenire poterunt. Et ut haec nostra regalis traditio stabilis & inconvulsa per succendentium momenta temporum permaneat, hoc inde conscriptum manu propria, ut infra videtur corroborantes, sigilli nostri impressione iussimus insigniri. Data est IX. Kalend. Novembris. Anno Dominicæ Incarnationis M. LXII. Indictione II. Anno autem Domini Heinrici ordinationis quarti Regis VIII. regni vero VI. Actum Ratisponiæ feliciter, Amen.

XXIV.

FRIDERICI IMP. CONFIRMATIO PRIVILEGIORVM
HAMBVRGENSI ECCLESIAE CON-
CESSORVM.

DN Dei nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Fri- Eft & hoc
dericus divina favente clementia, Romanorum Im- inter Pri-
perator Augustus. In examine cuncta Dei confici- vilegia Ar-
entes æquali, meritum fors credimus dantis & corroborantis. Credimus etiam ad Imperiale Majestatem nostram pertine- chi ecclæ-
re totius Imperij curas, præcipueq; omnium Sanctarum Dei burg à
Ecclesiarum commoda considerare, & omnia eis adversantia Linden-
sub omni festinantia abolere, ne vel gravi incommoditate vi- brogio
lestant, vel qualibet noctea occasione à pristino cultu & religi- edita. pag.
Gg 2 one 181.